

JULIUSZ DOMAŃSKI

DE PHILIPPO CALLIMACHO ELEGIACO  
CAPITULA DUO

PRÆMONITUM

Duo quæ subsequuntur capitula meam de Philippo Callimacho Buonacorsio elegiacorum poetarum Romanorum imitatore tractantem claudebant primitus dissertationem, quam ineuntibus sexagesimis vicesimi sæculi annis ad assequendum doctoris gradum sub auspiciis præceptoris mei clarissimi Casimiri Felicis Kumaniecki scripsi et haud multo post typis impressam in publicum emisi,<sup>1</sup> non integram tamen. Ne enim integra prodiret, chartæ, ut tunc erant tempora, prohibuit penuria. Quædam igitur in dissertatione mea in brevius redegei, hæc autem capitula duo omnino suppressi, sed copiam eorum in chartulario meo privato usque adhuc servavi. Quæ ut in Annuariis hisce prelo nunc mandarentur, doctrix Agatha Łuka, Neolatorum studiorum meorum sodalis, effecit, quinquaginta annis post doctoris gradum a me acceptum elapsis has dissertationis meæ reliquias tandem in lucem emittere et decens et fortassis non inutile fore rata. Cui consilio cum ipsum quoque Annuarios hos publicans adnuerit Collegium, valde et feminæ doctæ et Collegio honorabili gratus nihil iam obesse duxi, quominus hæc dissertationis tam annosæ particula lucem tandem videret.

Varsoviæ, die vicesima octava Novembris anno MMXIV

---

Prof. dr hab. JULIUSZ DOMAŃSKI – emerytowany profesor Instytutu Filozofii i Socjologii PAN oraz Instytutu Filologii Klasycznej UW; adres do korespondencji – e-mail: juldom@poczta.onet.pl

<sup>1</sup>*De Philippo Callimacho elegiacorum Romanorum imitatore*, scripsit Iulius Domański, Zakład Narodowy im. Ossolińskich, Wrocław 1966 (Archiwum Filologiczne pod redakcją K. Kumanieckiego i B. Bilińskiego, XII). Sicubi infra ad me ipsum nullo titulo indicato relego, ad hanc dissertationem meam relego.

## WYJAŚNIENIE WSTĘPNE

Dwa poniższe teksty były pierwotnie końcowymi rozdziałami mojej rozprawy doktorskiej o Filipie Kallimachu Buonaccorsim jako naśladowcy elegików rzymskich, napisanej pod patronatem mojego wielce sławnego profesora Kazimierza Kumanieckiego na początku lat sześćdziesiątych dwudziestego wieku i niewiele później wydanej drukiem, nie w całości jednak. Temu bowiem, aby ukazała się cała, stanął na przeszkodzie niedostatek papieru – takie to były czasy. Pewne jej partie zatem skróciłem, te zaś dwa rozdziały usunąłem z niej w ogóle, zachowując jednak do dziś w moim prywatnym archiwum ich kopie. Że je teraz oddaję do druku w „Rocznikach Humanistycznych”, sprawiła doktor Agata Łuka, koleżanka moja w studiach neolatynistycznych, uznawszy, że będzie godziwie, a może i nie bez pożytku wypuścić je w świat w pięćdziesiąt lat po moim doktoracie. A kiedy zamiar taki zaaprobowała także Redakcja „Roczników”, wdzięczny wielce zarówno uczonej koleżance, jak i szanownej Redakcji, uznałem, że nic już nie stoi na przeszkodzie, aby i ta cząstka mojej leciwej rozprawy ujrzała wreszcie światło dzienne.

Warszawa, 28 listopada 2014

DE CALLIMACHI SERMONE AMATORIO  
QUÆSTIONES SELECTÆ<sup>1</sup>

Callimachi sermo amatorius in eis carminibus, quæ *Fanniæto* continentur, elegicorum aliorumque poetarum Romanorum imitatione excultus dignus sane est qui peculiari quadam dissertatione ita aliquando illustretur, ut et elegicis quidnam in elocutione sua conformanda Callimachus debuerit et ceterorum poetarum Latinorum sermonem quomodo lucri fecerit et ipse ex se si quid excogitaverit atque invenerit, manifesto eluceat. Hac tamen disputatione nostra, de Callimacho elegicorum Romanorum imitatore instituta, multo pauciora nobis excutienda indagandaque proposuimus. Etenim, ne infiniti pæne laboris operam navaremus neve disputationi institutæ quasi alteram peculiarem disputationem de elocutione Callimachea tractantem addere videremur, in pauculis verbis amatoriiis considerandis atque cum elegicorum Romanorum elocutione comparandis acquiescendum nobis esse duximus, selecta potius Callimachei sermonis amatorii specimina quam totius elocutionis indolem atque naturam legentibus repræsentaturi.

Vocabula ipsa, quæ nobis indaganda proposuimus, omnia ad amatorios affectus depingendos a Callimacho adhibita sunt. Quibus quidem vocabulis consideratis ubertatem quondam amatorii sermonis eamque indolem optime illustratum iri speramus, qua fit, ut erotici scriptores, quamquam proprii verbi curam omnino non neglegunt, plerumque tamen eam adhibere nolint, nunc unum aliquod vocabulum modo hoc, modo illo sensu ponentes, nunc plura vocabula eodem sensu usurpantes nulla certa inter singulas voces distinctione adhibita.

Ac primum quidem de ipso *amoris* vocabulo pauca dicenda sunt. Etenim vocabulum illud haud uno semper eodemque modo a Callimacho usurpatur, sicut neque apud elegicos Romanos eandem semper vim habet. Et sæpius quidem *amor* proprie a Callimacho ponitur, nempe pro eo animi affectu sive motu, qui amantes regit et inter se coniungit, velut XI, 5 *assuetus me torque amor*, XIX, 4 *turpe putans placito velle in amore mori*, et aliis locis sescentis, quos hic enumerare longum et certe supervacaneum est. Neque tamen desunt in *Fanniæto* Callimachi loci, quibus *amoris* vocabulum longe aliam

---

<sup>1</sup> In hoc capitulo scribendo multum me adiuvit vetus Irenæi Pichon dissertatio *De sermone amatorio apud Latinos elegiarum scriptores* inscripta et in officina editoria cuius nomen Librairie Hachette Lutetiæ Parisiorum anno MCMII edita.

vim accipiat. Ponitur enim et *amor* singulari numero et plurali *amores* pro ipsis amantibus. Ita VI, 91 sq Callimachus mortem alloquens quærit: *tu numquid amores audebis dira dissociare manu?*, certe non amores in mente habens, sed amantes, id est se ipsum et Fanniam amasiam, qua ægrotante metuit, ne ab ipso illa per mortem avellatur. Item elegia XXXVIII, cum Fanniæ discidium minatur et aliam amasiam sibi reperturum esse profitetur, novæ illius amasiæ fidem describens sic eam loquentem fingit: *tu mihi solus amor*, ita ut id quod est *amor* manifesto *amantis* vim obtineat. Simili modo vox hæc etiam ab elegicis Romanis usurpatur, velut Tib. 1, 3, 81; 1, 6, 35; 4, 5, 11; Prop. 1, 20, 51; 4, 4, 37; Ov. am. 3, 8, 59 et quidem plurali numero, singulari vero Prop. 2, 36; 2, 1, 48; Ov. am. 3, 9, 32; epist. 15, 12.

Inter *amorem* singulari numero et *amores* plurali et quidem proprio sensu positos vix id apud elegiacos interesse deprehendes, quod *amor* unicam personam adamatam et unius amantis affectum significat, *amores* vero vel plurium in plures vel unius etiam in plures personas amatas affectus. Nisi quid me fugit, in duobus solis elegicorum locis eam vim *amores* habere video, ut ad plures personas amatas merito referri possint, nempe Prop. 2, 25, 39 *at vos, qui officia in multos revocatis amores...* (ubi illud *multos* rem præcisius accuratiusque definit) nec non Ov. am. 3, 6, 101 *demens narrabam fluminum amores*, cum antea reapse plurium fluviorum amores narraverit. Ceterum eandem semper vim habet singulari numero *amor* atque plurali *amores*. Quæ res itidem apud Callimachum nostrum usu venit. Etenim cum XI, 15 *assuetus me torquet amor* et XVIII, 9 *iam dudum fracto te linquere cogor amore* et XIX, 4 *turpe putans placito velle in amore mori* de suo ipsius in unicam puellam flagranti amore dicat, aliis in locis plurali numero *amores* eodem sensu ponit. Ita XI, 65 dicit: *inque meis chartis teneri scribantur amores*, scilicet non de quibusvis amoribus cogitans, sed de suo ipsius amore et eo quidem, quo Fanniam unicam prosequitur; item L, 70 sq *nam quid ego optassem placitorum pignus amorum perdere* ex Fannia quærit, ipsum abortus, quem gravida facta perpetravit, reum prætendente, ita ut *placiti illi amores* idem fere sint atque *amor, qui nos coniunxit*; item LIV, 19 de Fanniæ amore, non de amoribus nescio quibus: *nec mea cura tuos unquam reticebit amores* et XXXVIII, 13, Fanniæ indignans: *non potes, ut quondam, nostros eludere amores*.

Accedit, quod *amoris* vocabulum interdum ita a Callimacho adhibetur, ut haud tam facile discerni possit, utrum de *amore*, id est animi affectu, an de *Amore*, deo illo, Callimachus agat, id quod itidem apud elegicos quoque sæpissime usu venit. Atque XI, 65 equidem scribere non dubitaverim *inque*

*meis chartis teneri scribantur amores*; LII, 8 vero *ad tua sed vinctum iura remisit Amor*; illic enim de animi affectu Callimachum locutum esse pro certo haberi potest, hic autem potius Amorem deum in mente poeta noster habuisse vel propter illud *vinctum* videtur, quamquam nescio an non æque congruus locus ille esset, si *amor* scriberem; similiter XLIII, 4 sq *quo nec sævus Amor nec caræ fama puellæ alato possint accelerare pede* (cf. Tib. 3, 4, 65 *sævus Amor docuit*; Ov. am. 1, 6, 34 *sævus adesset Amor*). At in verbis, quæ XVII, 51 sq ita scripta occurrunt: *turpius ergo tibi si furtum ducis, amoris deciperis falsa crudelitate boni*, haud tam facile discerneres, utrum de *amore bono* an de *Amore* agatur. Etsi enim recte mihi videor post *ducis* interpunxisse, ita ut *furto*, id est furtivo seu clandestine *amori* (cf. ex. gr. Ov. epist. 6, 43; 17, 54 et alibi sæpius plurali numero *furta*), *bonus amor*, id est licitus, honestus, pæne iugalis, is certe, quem celare necesse non est, opponatur, tamen adhuc incerti sumus, utrum deus bonus an bonus affectus hoc in loco intellegi debeat. Neque elegicorum loci similes quicquam ad hanc quæstione solvendam proficiunt.

Sequitur, ut iuncturas selectas, quibus *amoris* vocabulum exhibetur, adnotemus. Atque cum *teneri amores* XI, 65 a Callimacho nominentur, iunctura hæc Ovidio originem suam debet (cf. am. 3, 11, 69; trist. 2, 361; 3, 3, 72; 4, 10, 1) nec non sensu eodem utrobique profertur. Nam si locis Ovidianis ea *tenerorum amorum* notio subauditur, ut *teneri illi amores* amorem iuvenilem simulque poesin amatoriam significant, idem in Callimachi quoque loco usu venit. Cum XIX, 4 *placito velle in amore mori* et L, 7 sq *placitorum pignus amorum* legitur, iunctura hæc *placitus amor* non ex elegiacis, sed potius ex Vergilio petita esse videtur. Quod vero priore loco (XIX, 4) in codice Parmensi *placido* pro *placito* exstat, id quidem non ab ipso Callimacho, sed ab eo, qui codicem illum exaravit, inductum esse equidem pro certo habeo, immo inepte inductum; nam si ad Tib. 2, 1, 80 exemplar (*cui placidus leniter adflat Amor*) librarius Callimachi textum corrigere conatus est, genuinam sententiam depravavit. Quod ad verbales iuncturas attinet, sunt quidem, quas Callimachus ad elegicorum exemplar conformavit, velut XI, 65 *assuetus me torquet Amor* ad hunc Ovidii locum merito referri potest (ars 1, 176) *eheu, quam multos advena torsit Amor* (deus scilicet, cum in Callimacheo loco procul dubio *amor* scribendum sit); cf. etiam ars 2, 124 *et tamen æquoreas torsit amore deas*. Callimachi XVIII, 9 *iam dudum fracto te linquere cogor amore* ad Propertium fontem redit, 3, 11, 4 *quod nequeam fracto rumpere vincla iugo*, ubi *iugum* idem est atque *amor*; et *amorem frangere* nusquam apud antiquos auctores inveni. Ipsius ergo Callimachi inventioni hæc iunc-

tura tribuenda esse videtur. En alium locum habes, quo Callimachus idem antiquorum poetarum iuncturas novandi studium ostendisse videatur. VI, 91 sq enim *tu numquid amores audebis dira dissociare manu?* legimus, cum Tib. 4, 6, 7 *divellere amantes* exstet neque alibi usquam illud *dissociare amores* aut *dissociare amantes* mihi reperire contigerit. Item cum XXXVIII, 23 sq *nunc calet ira recens, facile est mutare puellam, dum tuus in læso pectore friget amor* legimus, et illud *calet ira* et hoc *friget amor* ipse ex se Callimachus protulisse videtur, quamquam in priore illa locutione conformanda Ov. epist. 17, 89 sq *frigora ne possim gelidi sentire profundi, qui calet in cupido pectore, præstat amor* nec non Tib. 1, 10, 53 *Veneris tunc bella calent*, in hac vero Ter. Eun. 723 *sine Cerere et Libero friget Venus* aliquid valere potuit.

Ut *amoris* vocabulum non eandem semper apud Callimachum vim habet, ita ipse ille amantium affectus haudquaquam sub solo proprio nomine in Callimacheo *Fannieto* occurrit, sed diversis modis translate describitur, in quibus tralaticiiis amoris nominibus ponendis solito more Callimachus elegicos Romanos ita sequitur, ut et eorum inventa avide lucri faciat et tamen novandi commutandique cupiditatem quin hic illic ostendat non omittat.

Ac primum quidem *ardorum* nomen amor isque vehemens obtinuit II, 39 *ardores noctesque meas et prælia dicam, quæ me cum domina cogit inire dolor*, similiter atque in elegicorum locis his: Tib. 4, 12, 6; Prop. 1, 7, 24; 1, 10, 10; 1, 13, 28; Ov. am. 2, 9, 27; 2, 16, 12 (ubi singularis *ardor* et pluralis *ardores* uno versu positi sunt eandem rem manifesto significantes); epist. 12, 180 (*ardores* plurali numero); 15, 309; 19, 17 et 42; rem. 720 (ubi lepide poeta verbis ludit, dum puellam primum amatoris scripta comburere, tum vero hæc verba pronuntiare iubet: *ardoris sit rogas iste mei*), cum tamen ad poesin sive potius ad furorem poeticum *ardoris* vocabulum apud Callimachum attineat XI, 17: *tunc bibit Aonio de fonte poeticus ardor*. Similiter *ardere* idem est atque *ardenter amare*: LXI, 14 *nunc novis ardet faculis* (Fannia scilicet novo amatore potita), similiter atque apud Ov. am. 3, 2, 33; epist. 5, 105 (*ardet amore tui*); 15, 149; ars, 1, 284 (*fratris amore arsit*); rem. 13. Sed *faculas* illas unde Callimachus mutuatus sit, mihi quidem non liquet, nisi si ipse excogitavit. Attamen VI, 9 sq *ardere* non amatorium illum sensum habet, sed proprie positum est; ita enim Callimachus de Fannia ægrotante nec non de se ipso propter puellæ suæ morbum iam pæne ægrotare incipiente: *ardemus febribus ambo et prope iam vita cedit uterque sua*, nisi quod verbis ludere Callimachum et, quia propter amorem illud fit, ut „febris ardeant ambo” (ipse scilicet et Fannia ægrotans), amatorium etiam

sensum in illo *ardemus* latere putaveris. Quem significatum vox ea apud elegicos nusquam habere videtur. Adde, quod III, 35 sqq (qui locus paulo infra laudabitur) *ardores* pro *voluptatibus* manifesto usurpantur: *sensit et ardores quæquæ medulla meos*; senserunt enim ardores illos medullæ, posteaquam Callimachus osculum a Fannia accepit.

De *facula* iam supra dixi; nunc vero addam necesse est deminutivum illud eodem sensu a Callimacho proferri, quo ab elegiacis Romanis *fax* usurpatur (cf. ex. gr. Tib. 2, 4, 6; Prop. 1, 13, 26; 2, 3, 14; 2, 7, 8; Ov. epist. 15, 15; rem. 434), nempe pro amore ardenti.

*Flamma* simpliciter pro *amore* ponitur a Callimacho XXXVIII, 21 sq: *nam, si lentus ero, dolor hic a mente recedet, flammaque ab extincto stipite maior erit* (id est: ardentius te denuo amabo), et LI, 10 sqq: *nam fuit quondam, fuit illa nostra, sensit et mecum tepuisse ab una se quoque flamma* (id est: uno eodemque amore capti eramus ambo), similiter atque in Ovidii locis non tam paucis, cf. ex. gr. am. 2, 1, 8; epist. 12, 38; 15, 3. 27. 177; 18, 94. 129; 19, 4. 56; ars 1, 282. 335. 526; rem. 485. 734; trist. 2, 373.

Quod sæpius amor ab elegiacis Romanis vel comparatur igni vel etiam simpliciter *ignis* pro *amore* nulla comparatione adhibita ponitur, idem apud Callimachum quoque usu venit. Absque comparatione usurpatur *ignis* pro *amore* XLI, 18 sqq: *te diu toto pepulit recessu pectoris, nec iam cinis ullus exstat, quo fuit ignis*; in comparatione ponitur idem vocabulum III, 32 sqq: *ignibus arentes stipulas tetigisse putares sulfureosque rogo supposuisse globos: sic iecur et totum pectus mihi protinus arsit, sensit et ardores quæquæ medulla meos*.

Quod *ardores* illi III, 35 *medullis* sentiuntur, id quidem ad Ovidium auctorem redire videtur, cf. am. 3, 10, 27; ars 3, 793; epist. 4, 15; met. 9, 484. Totum tamen locum ad Ovidii exemplar a Callimacho conscriptum esse vix crediderim. Nam præter Ovidii locutiones in locis nuperrime a me laudatis obvias etiam Catulli illud *ignis ardet in medullis* (45, 16; cf. præterea 68, 53) in Callimachea imagine conformanda aliquid valuisse videtur, neque negari potest ipsum ex se Callimachum ad imaginem effingendam quædam attulisse. Quod denique ad reliquas corporis partes in loco Callimacheo occurrentes attinet, *iecur* dico et *pectus*, illud unde profectum sit, non video, nisi quod Callimacheæ inventioni originem suam debet, hoc vero ad elegicorum et Catulli sermonem fontem redire videtur: cf. Ov. am. 3, 2, 40; epist. 8, 58; 15, 50. 126; 17, 90; ars 3, 714; rem. 434; Cat. 61, 70.

Nunc *cura* quo sensu a Callimacho usurpetur consideremus, locis, quibus vox hæc ex amore ortas curas proprie significat, omissis. Atque id quod est

*cura* idem fere atque *amor* valere videtur his in locis: II, 7 *dura sed inceptas fregerunt sidera curas et subito periit vix bene natus amor* (*curæ* et *amor* idem sunt): II, 18 (*Parcæ*) *hanc curam filis implicuere meis* (de amore apud Callimachum agi ex iis, quæ præcedunt, manifesto elucet); XVIII, 53 sq *iam nullus in urbe sollicitum cura me sciet esse tua*, idem fere atque *amore tuo*; LIII, 33 sq *namque ego sublatis molli de pectore curis iam dudum a studio sublimiore vocor* (leguntur hæc in eo carmine, quo Callimachus amoribus simulque poesi amatoriam valedicit, quo fit, ut *curarum* vocabulo et amorem suum et carmina amatoria appellaverit). Cum his vero Callimachei *Fannieti* locis conferas quæso elegicorum locos, ubi eadem vocabulo illi vis insit: Prop. 1, 15, 31; 2, 12, 4; 3, 21, 3 sq (proximo Propertii loco hæc leguntur: *crescit enim assidue spectando cura puellæ: inde alimenta sibi maxima præbet amor*, ubi *cura* et *amor* idem manifesto significant; quibuscum Propertii verbis conferas Callimachi locum II, 7 supra a me laudatum); Ov. am. 1, 9, 43; epist. 7, 33 sq (*amare* et *cura* ita ponuntur, ut alterum altero explicetur); ars 2, 357 sq (*lentescunt tempore curæ vanescitque absens et novus intrat amor*; vide, quæ ad Prop. 3, 21, 3 sqq nuperrime adnotavi, et Callimachi locum L, 7); rem. 331. 484.

Accedunt loci, quibus *cura* idem fere est atque *desiderium*: XXXVI, 7 *sic ait „absentis valeas iam cura puellæ”*; LVI, 13 sq *nec patitur quicquam nostrum relevare dolorem aut memorem curam detenuare tuam*; LVI, 21 sq *non locus aut tempus quodvis mihi ferre quietem, non animum curis exonerare potest* (ubi *curæ* illæ proprie in speciem ponuntur, sed toto carminis tenore edocemur fieri non posse, quin idem *curæ* illæ atque *amatoris desiderium* valeant); LVI, 121 sqq (non amatoria quidem *cura* est, sed ea etiam *desiderii* vim habet) *non me cura meæ patriæ, non cura parentum, non quidquid totus utile mundus habet, abstrahet* (scilicet a Fannia). Eundem fere sensum vocabulum illud habet in elegicorum Romanorum locis his: Tib. 1, 5, 37 *sæpe ego temptavi curas depellere vino* (nempe discidio ortas curas, cf. v. 1); Tib. 3, 2, 29 sq *Lygdamus hic situs est: dolor huic et cura Neæræ, coniugis ereptæ, causa perire fuit* (nam dolore simulque coniugis ereptæ desiderio tactus est); 3, 6, 7 et 37 (at ibidem v. 29 *cura* pro amore posita esse videtur); Ov. rem. 241 *cum semel exieris* (scilicet ab amasia fugiens), *centum solacia curæ et rus et comites et via longa dabit* (si non idem hoc in loco est *cura* quod *desiderium*, certe tamen non multum a *desiderii* notione abhorret).

Ponitur etiam *cura* pro ipsa persona amata, quæ amatori *curæ* est: XLIV, 55 sq: *primaque mente tua sim semper, Fannia, cura tuque meo semper*



*pectore inesse queas*, quibuscum Callimachi verbis conferas oportet Tib. 2, 3, 31; et praesertim 4, 12, 1 sq: *ne tibi sim, mea lux, æque iam fervida cura*; Prop. 1, 1, 36; 1, 25, 1; 2, 34, 9; Ov. am. 1, 3, 16; 3, 9, 31 sq: *sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt, altera cura recens, altera primus amor*; epist. 15, 96: *sed Nymphis etiam curaque amorque fui* (notandum est in duobus ultimis locis *cura* et *amor* idem significare, nempe personam adamatam); ars 1, 512 et 555; 2, 350.

Ut in locis supra laudatis *cura* pro *desiderio* ponitur, ita *desiderium* ipsum idem valet atque *amor* vel potius *cupiditas amatoria* XVIII, 19 sq: *iam dudum fracto te linquere cogor amore et desiderii vota novare mei*.

Sunt denique in Callimacheo *Fanniето* loci, ubi *cura* idem valet atque *carmen* aut *poesis*, velut II, 48: *quod nequeam curas evigilare graves*, id est gravioris argumenti carmina. At LIV, 19 *nec mea cura tuos umquam reticebit amores* id quod est *cura* cum *carminis* vim ac sensum propter illud *reticebit* habere videtur, tum etiam a *memoriae* notione haud tam longe recedit.

Sequitur, ut *doloris* vocabulum quomodo a Callimacho usurpetur consideremus. Atque sæpius quidem *dolor* quæcumque in amore gravia et molesta esse possunt significat, praesertim autem discidii dolorem, quo amans sive ab amasia exclusus sive perfidia eius offensus afficitur. Ita V, 7 *me tamen assueti vexant in amore dolores* dicit Callimachus, cum solus in cubili iacens atque, quare ab amasia admissus non sit, incertus somno se dare nequit. En alia exempla: IX, 51 sq *discas tolerare dolores: ut semel accipias, sæpe repulsus abi*; XVIII, 35 sq *nam mihi lux tecum quando fuit una quieta, quando non causæ sæpe doloris errant?*; XXXIX, 17 sq *nec dolor exclusi somnos tibi rumpet amantis*. Accedit, quod *dolori* quoque insit illa *desiderii* notio, ut his in locis: LII, 9 sq *hinc tibi fit nostri fiducia tanta doloris, ut sine te nusquam vivere posse putes*; LII, 33 sqq *dicisque, reor, taciturna „recedet hic dolor ac iram postmodo vincet amor, meque ultro supplex veniam petiturus adibis”*; LVI, 13 sq *nec patitur quicquam nostrum relevare dolorem aut memorem curam detenuare tuam* (*cura* et *dolor* simul occurrunt idem significantes, nempe *desiderium*); LVI, 121 sqq *non me cura meæ patriæ, non cura parentum, non quicquid totus utile mundus habet abstrahet et tantos adiget me nosse dolores, te sine nunc quantos, Fannia cara, tuli*. Atque prioris quidem illius generis exempla adeo multa apud elegicos exstant, ut singula hic enumerando nimis morosus legentibus sim, posterioris vero generis apud elegiacos ne unum quidem repperi exemplum.

Est denique *dolor* idem fere atque *indignatio* aut *ira*: II, 39 sq *ardores noctesque meas et praelia dicam, quæ me cum domina coget inire dolor*. Ad

quem Callimachi locum qui elegicorum Romanorum loci adnotentur digni mihi quidem videntur hi: Ov. epist. 6, 140 *quamlibet infirmis iste dat arma dolor*; Ov. ars 2, 489 sq *ergo age et iratae medicamina fortia praëbe! illa feri requiem sola doloris habent*; Prop. 2, 28, 9 *num sibi collatam doluit Venus ipsa?*

Sequitur, ut de *labore* pauca subiungantur. Habet enim vocabulum illud in amatorio sermone eandem fere vim atque *dolor* sive *mæror*, is nempe, quem amor parit. Hoc significato usurpatur a Callimacho XXXIX, 21 sq *ipse ego, qui tantos infracta mente labores sustinui, credas, postmodo segnus ero*, quibuscum Callimachi verbis conferas quæso Tib. 3, 6, 7; Prop. 1, 6, 23; Ov. rem. 234. Notandum etiam est LVI, 27 exilii miserias atque incommoda *labores* nominari. At LXI, 33 sq obscenam significationem vox hæc habet: *sed miser postquam posuit ligonem aut dedit fessis requiem iuvenis, cogitur grato macerare rursus membra labore*, quæ *laboris* significatio eadem est quam exhibet Ovidii ars 3, 787.

Dicuntur etiam amoris incommoda *pondera* LII, 21 sq *ipse tamen vires hominum superantia multum pondera non fracto pectore sustinui*, cuius significationis exempla apud elegicos mihi reperire non contigit.

Cum adhuc in iis verbis considerandis versemur, quibus amatorii cruciatu nominantur, res ipsa exigit, ut videamus, quomodo *vulnus* a Callimacho usurpetur. Diversam enim vocabulum hoc in elegicorum sermone amatorio vim habet, sed ceteris omnibus significationibus ea prævalere videtur, qua *vulnus* pro Amoris ictibus sive potius pro eorum effectu ponatur. Inde enim translata esse videtur ea *vulneris* significatio, qua id quod est *vulnus* modo ipsius amoris, modo curarum et dolorum, qui ex amore oriuntur, modo peculiari quodam sensu alterius amantis perfidiæ, qua alter amans quasi vulneratur, vim obtinet. Quod ad Callimacheum vocis huius usum spectat, duos locos hic afferam, quorum sensus mihi quidem, Callimachi locutiones attentius indaganti atque rimanti, non ita perspicuus est. Namque XXXVIII, 19 sq Callimachus, posteaquam se amasiæ suæ fraudes oculis vidisse fassus est, *confiteor*, inquit, *me non vidisse putare ac vulnus placido pectore ferre meum*. Quo in loco equidem hæreo, quomodo *vulnus* illud intellegere debeam; merito enim ambigi potest, utrum de amore suo an de puellæ perfidia aut de dolore ex perfidia illa contracto poeta noster loquatur. Item res se habet etiam XXXIX, 47 sq *iam nunc ætatis memor ulterioris, amantis luminibus placidis vulnera cerne tui*. Namque hæc verba in eo carmine exstant, quo Fanniam Callimachus præmonet, ne teneræ ætati nimis confisa senectutis venturæ immemor sit neve moribus duris aut perfidia sua efficiat, ut in

senectute aliquando orba vivat. Si ergo *placidis luminibus amantis vulnera Fanniam cernere iubet, vulneribus illis curas ac dolores amasiæ perfidia effectos significavisse videtur. Quod si recte a nobis intellegitur, eandem vim id quod est vulnus in Callimacheo loco habet atque Prop. 2, 34, 92; 3,21, 32; 3, 24, 18; Ov. epist. 7, 190.*

Singulare vero illud esse animadvertamus, quod LIII, 4 ita scriptum legitur: *multaque sustinui, vulnera multa dedi*. Atque hoc quidem loco id quod est *vulnus* pro *amore* positum esse mihi quidem videtur, sed quemnam amorem Callimachus in mente habuerit, cum se vulnera multa et sustinuisse et dedisse gloriaretur, non satis perspicuum est. Constat enim apud elegiacos frequens in usu illud fuisse: ab Amore deo vulnera amantibus dari infligique, ut idem sit *vulnus (alicui) dare* atque *amorem (in aliquo) excitare* aut *inflammare*. Quæ quidem locutio ad Amorem deum plerumque attinet, solus, ni fallor, Ovidius ad Dianam deam eam accommodat, ars 1, 261 sq: *illa quod est virgo, quod tela cupidinis odit, multa dedit populo vulnera, multa dabit*; de se ipso vero dicit Ovidius rem. 43: *discite sanari, per quem didicistis amare: una manus vobis vulnus opemque feret*, quibus verbis non amatorem se legentibus ostendit, sed artis amatoriaræ magistrum. Callimachus non item. Neque enim Amoris vulnera mentibus infligentis nec præceptoris artis amatoriaræ partes agit poeta noster Ovidianas locutiones imitando: de se ipso amatore manifesto dicit. Verumtamen nulla eorum, quæ prius de amore suo scripserat, ratione habita ita se gerit, ac si non unam puellam amaret aut ab una amaretur, sed modo huic, modo illi vulnera illa infligeret.

Ut ille *vulneris* usus, quo vocabulum illud pro *amore* ponitur, ex imagine quadam – Amoris dei imaginem dico amantibus vulnera infligentis – originem duxit, ita etiam tralaticie *iugum* in sermone amatorio adhibetur; est enim iugum illud instrumentum, quod duo animalia et inter se coniungit et quodammodo in servitutum redigit. Itaque in sermone amatorio id quod est *iugum* dominationem potius aut Amoris dei aut puellæ significat quam animi affectum. Nihilominus non desunt apud elegiacos loci, ubi imaginis illius, quam id quod est *iugum* oculis repræsentare solet, vis adeo evanuit, ut idem fere *iugum* atque *amor* sibi velle videatur. Neque aliter res se habet apud Callimachum nostrum. Etenim II, 4 Amor deus Callimachum iubet *assueto reddere colla iugo*, id est denuo amare. Item LI, 1 sq *quid me non meritæ titulos celebrasse puellæ dicis et indignum sustinuisse iugum?* illud *sustinuisse iugum* idem fere est atque *amavisse*. Neque tamen eadem prorsus vis *iugo* inest XXXVIII, 21 *sed dolor immodicus tandem superavit amorem fregit et iniusti vincula dura iugi*. Ad quem Callimachi locum enotare velim

Prop. 2, 4, 14 (se ipsum poeta elegiacus alloquitur): *dum licet, iniusto subtrahe colla iugo*. Nimirum illud *iniusto* nos inducit, ut de amatoris servitio et puellæ nimis severa in eum dominatione cogitemus, quamquam ceteris huius elegiæ versibus non de puellæ suæ dominatione queritur poeta, sed de amore suo a puella perfida spreto elusoque. Sed hæc est elegicorum illa in vocabulis adhibendis elegans negligentia, qua quidem, nisi quid me fallit, id fere efficitur, ut animi sui affectus sincerissime poeta elegiacus exprimere videatur. Cuiusmodi negligentiam et Callimacho nostro cordi fuisse iam supra monuimus. Quod vero ad ipsum *iugum* attinet, ille *dominationis* seu *dicionis* sensus multo apud elegicos est frequentior quam *copulæ* aut *nexus*. Quo sensu, ut exemplum afferamus vel unum, *iugum* ponitur a Propertio 3, 11, eo scilicet carmine, quo exemplis mulierum, quæ viris imperitabant, se contra eos, qui ipsum, utpote puellæ nimis obtemperantem, reprehendebant, excusare conatur, cf. v. 1 sqq. *Quid mirare, meam si versat femina vitam et trahit addictum sub sua iura virum, criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis, quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?* Ipse quoque Callimachus noster illud *iugum* cum illo *iura* coniungit IX, 49 sq de spe dicens: *illa iugo mea colla prius submitit Amoris et posuit sensus sub tua iura meos*. Quo in loco id quod est *iugum*, etsi ab *amoris* notione non abhorret, propius tamen ad *dominationis* significatum accedit. Adde, quod locutio illa *frangere iugum*, quæ in Callimacheo *Fanniæto* etiam LII, 6 ita scripta occurrit: *et veluti fracto liber abire iugo*, ad Propertium fontem redit, ut exempla supra prolata docent. Quod vero ad illud *iura* attinet, conferas velim Ovidii locos hos: am 2, 17, 23 sq *tu quoque me, mea lux, in quaslibet accipe leges: te deceat medio iura dedisse foro*; epist, 15, 321 sq (Paris Helenam alloquitur) *tunc ego iurabo quævis tibi numina meque adstringam verbis in tua iura meis*.

Fidem inter amantes pactam *fæderis* vocabulo sæpius nuncupant elegiaci poetæ; neque desunt in eorum carminibus loci, ubi utrumque vocabulum, *fides* scilicet et *fædus*, iunctim ponuntur, ex. gr. Prop. 3, 20, 21 sqq; Ov. epist. 7, 7 sqq. Similiter in *Fanniæto* Callimacheo *fides* et *fædus* simul iuncta occurrunt: XVIII, 11 sq (de suo a puella discedendi consilio poeta noster loquitur) *hoc suadet tua vana fides et inania verba fædera que incerto pondere pacta mihi*; ibid. v. 29 sq (de alia puella, quam amasiam suam fore sperat Callimachus) *quæ me tam fædere certo diligit, est nobis quam tua vana fides*, ubi *fædus* illud *certum* atque *fidem* illam idem significare elucet. Sed cave existimes in vocabulo hoc usurpando (*fædus* dico) usquequaque Callimachum ab elegicorum partibus stetisse. Ut enim II, 3 *ast Amor abruptit*

*pactæ mihi fœdera pacis* Propertii (2, 2, 2 *at me composita pace fefellit Amor*) vestigia pressit quidem, ita tamen, ut novandi adornandique studium in eo, quod pro *pace* Propertiana *fœdera pacis* posuit, satis superque ostenderit, sic alio in loco novam quandam atque elegiacis vix usitatam vocabulo vim indidit, elegiæ IX exordium dico ita scriptum: *quid mihi, cum pacti potuisti fœderis horam fallere, iurabas „cras tua tecta petam”*? Habet equidem hic quoque locus suum certumque in elegis antiquis exemplar, nempe Tibulli verba 1, 9, 1-2: *quid mihi, si fueras miseros læsurus amores, fœdera, per divos, clam violanda dabas?* – id quod iam in priore dissertationis huius meæ parte ostendi; neque tamen hic quoque eadem recolere supersedeo, ideo potissimum, quod in Callimachi sermonem mihi nunc inquirenti nova quædam Callimacheæ imitationis ratio ex locis illis inter se collatis apparere videtur. Quid enim? Habemus quidem eadem utrobique vocabula, *fœdera* illa in loco Tibulliano, *fœdus* apud Callimachum nostrum. At longe aliam utrobique eodem hoc vocabulo rem significari quis est quin videat? Nam apud Tibullum *fœdera* illa nihil aliud sunt quam iusiurandum vel amantis promissa quædam sollemniora, Callimachus vero *fœderis* vocabulo constitutum conveniendi nuncupavit, similiter atque Ovidius artis 2, 579 (de Venere et Marte) *veniant ad fœdus amantes*, id est in constitutum prius locum et pacto temporis momento conveniunt amantum deliciis fruituri. Iam vides, lector benevole, quam diversum sensum Tibulli vocabulum in Callimachi nostri carmen translatum obtinuerit.

*Ius* amasiæ dominationem in elegicorum sermone amatorio significare iam supra monuimus. Itidem res se habet in Callimachi locis his: III, 54 (de Fannia) *et teneat vitæ singula iura meæ*; IX, 50 (de spe ad Fanniam) *posuit sensus sub tua iura meos*; LII, 8 (de se ipso) *ad tua sed vinctum iura remisit Amor*. Notandum est etiam scite apteque Callimachum verbis lusisse suum ipsius *ius*, id est *libertatem*, amasiæ *iuribus*, id est *dominationi*, opponendo LII, 43 sq: *experiar quemcumque modum, quamcumque medelam, ut possim iuris pectus habere mei*. Atque cum hac *iuris* significatione quodammodo cohærere videtur ea quæ verbo *tenere* inest vis amatoria. Est enim interdum apud elegicos Romanos *tenere* idem quod *possidere*, ut Prop. 4, 7, 93 (Cynthia mortua et in somniis apparens Propertium alloquitur): *nunc te possideant multæ: mox sola tenebo*. Ceterum ita hæc dici, ac si *pro amatore habebō* vel *a te amabor* vel (*sola*) *te fruor* dicatur (quod quidem pari ratione ad illud *tenebo* et illud *possidebo* attinet), quis non videt? Ne tamen sola „iuridica” vis verbo inesse neve ab ea solummodo translata verbi significatio originem suam duxisse videatur, liceat in memoriam revocare frequentem

admodum in amatorio sermone locutionem occurrere illam *lacertis (manu, sinu) tenere (retinere, detinere) amantem* (cf. ex. gr. Tib. 1, 1, 46 et 60; 1, 2, 73; Prop. 2, 22, 37). Adde, quod simili modo simplex verbum *tenere* eodem sensu poni solebat, nempe pro *amplecti, fovere* (cf. ex. gr. Tib. 1, 5, 39; 1, 6, 35; 2, 6, 52; Ov. am. 3, 7, 3). Inde videlicet originem duxit is verbi *tenere* usus, qui locis a me nuperrime laudatis inest; est enim in locis illis *tenere* idem atque *amare* (cf. etiam Ov. epist. 20, 125) vel *pro amatore habere* (cf. Ov. epist. 2, 103), siquidem amantem complecti et lacertis tenere proprium quoddam genuinumque amoris est signum. Quam quidem duplicem verbi *tenere* significationem, unam nempe, qua *tenere* idem fere est quod *possidere* ac *dominari*, alteram, qua *amandi* notio exprimitur, etiam apud Callimachum nostrum reperimus. En duo habes exempla, quæ afferre operæ pretium videtur esse: XVIII, 15 *altera sed iam me teneat*, i. e. alterius iam sim amator; XVIII, 22 *et per me possit nolle tenere Iovem*, i. e. pro amatore habere. Atque hunc quidem locum ad Catulli exemplar conformatum esse iam pridem monui, priorem vero ad Propertii 2, 3, 37 *altera me cupidis teneat foveatque lacertis* Callimachus videtur scripsisse. Sed pro locutione Propertiana *cupidis teneat foveatque lacertis* cum nihil nisi nudum illud *teneat* posuisset, latiore quanda atque prægnantiore vim verbo indidit.

Hæc fere habui, quæ de vocabulis dicerem, quibus amor in Callimachi elegiis significatur. Quæ quamquam pauciora sunt, quam ut universum poetæ nostri sermonem amatorium vel saltem solidam quanda eius partem adumbrent, nihilominus tamen ad id, quod nobis proposuimus, exsequendum sufficere videntur. Consideratis enim paucissimis illis amatorii sermonis exemplis in Callimachi *Fanniæto* obviis eandem fere imitandi rationem poetam nostrum in singulis vocabulis amatorii adhibendis secutum esse autumamus, quam in topica amatoria secutus est: eisdem scilicet quibus elegici Romani verbis plerumque usus est, sed non tam pauca longe alio sensu usurpavit, id videlicet spectans, ut generosam novandi ostenderet artem.

## DE FANNIÆ IMAGINE A CALLIMACHO DEPICTA

Iam dudum te, lector benevole, opinor animadvertisse in eis, quæ de Callimacheo *Fanniæto* adhuc disseruimus, disputationem desiderari, quæ omnium princeps ac primaria haud immerito existimari possit. Etenim de

Callimachi „topica” amatoria disserentes cetera quidem „themata” sive mavis „motiva” uberrime illustravimus, de ipsa vero Callimacheorum carminum heroina non nisi perpauca protulimus, pauciora certe, quam quæ vel e ieiunis illis summariis priore dissertationis huius parte confectis diligentius accuratiusque considerata atque explicanda nobis apparuerunt. Quæ cum ita sint, necesse est explicemus, quare rem tam gravis momenti, in præcedentibus capitibus non nisi summatim adumbratam, nunc demum et quidem quasi appendice quadam peculiari a proprio atque genuino dissertationis nostræ proposito quodammodo abhorrente fusius uberiusque illustrandam nobis proposuerimus.

Quod haud temere, immo vero circumspecte et prudenti quadam cum ratione factum esse primum omnium velim tibi, lector candide, persuasum sit. Etenim si mecum acceperis Callimachi amasiam, quæ *Fanniето* celebratur, non fictam, sed veram personam fuisse neque erotopægnia a Callimacho composita esse, sed ea carmina amatoria, quæ, licet ad elegicorum Romanorum exemplar conscripta, verum tamen ac sincerum poetæ nostri amorem exprimerent, id etiam mecum fatearis necesse erit haudquaquam sufficere ea, quæ de amasia sua Callimachus carminibus narrat, quomodo sese ad elegicorum Romanorum topicam amatoriam habeant, perspicere propiusque definire, sed Callimachi amasiam ipsam per se minime indignam esse, in cuius imaginem, licet elegicorum Romanorum coloribus a Callimacho depictam, accuratius inquiratur, præsertim cum non omnia imaginis huius delineamenta ad elegiacos auctores tuto referri possint. Sunt enim – id quod iam pridem satis, puto, ostendi – permulta quidem, quæ unde Callimachus haurire atque ad Fanniæ imaginem depingendam adhibere potuerit, mihi quidem consideranti atque diligenter investiganti nullo modo apparere possit, nisi si accipiam aut ipsi rerum statui vero atque genuino aut propriæ Callimachi inventioni ac fictioni ea deberi. Quæ quidem cum similiter sese habere videantur atque illa, quæ de se ipso exule carminibus suis Callimachus protulit, reapse tamen non parum ab illis differunt. Quæcumque enim Callimachus de exilii sui miseris in *Fanniето* dixit, ea quidem, quamquam veris ipsius fati potius quam antiquos auctores imitandi studio debentur, Ovidianorum *Tristium* nec non *Epistularum ex Ponto* notam præ se ferunt adeo manifestam, ut nemini dubium esse possit, quin ad suam ipsius Fanniæ amore sublevatam exulis sortem carminibus elegiacis depingendam antiqui poetæ locos consulto Callimachus lucrifecerit. Quod idem in omnibus, quæ ad Fanniæ imaginem depingendam adhibita sunt, usu venire equidem præfracte negaverim. Quæ res cum ita esse mihi videretur, Fanniæ imaginem a Cal-

limachi topica amatoria antiquorum poetarum imitatione exculta secludendam esse duxi.

His vero præmissis breviter repetere oportet atque in memoriam revocare ea, quæ de Fannia in Callimacheo *Fanniæto* leguntur. Atque fuisse illam quidem egregiæ pulchritudinis puellam et innuptam etiam tum fuisse, cum Callimachi amore frui cœpit, e multis locis apparet. Ruri vitam egisse et rusticam fuisse puellam elegiis XIX et LVIII diserte edocemur, e carmine vero LVIII apparet humili et ignobili loco natam esse Fanniam. Adde, quod e duobus epigrammatis, nempe XVI et XLIV, inter se comparatis conicere licet cuiusdam cauponæ vices illam peregisse. Amore suo illa Callimachum, exulem iam eo desperationis adductum, ut mortem sibi consciscere cuperet, felicem ac beatum reddidisse multis in locis, præsertim autem in elegia III et carmine X, traditur. In quo amore primum quidem illam se Callimacho fidam atque constantem præbuisse, procedente tamen tempore furtivis amoribus magis magisque indulgere cœpisse et Callimachum haud semel fefellisse atque elusisse e multis carminibus inter se comparatis statui potest. Gravidam factam esse et abortum invito, immo vehementer repugnante Callimacho patravisse e carminibus XXI, XXXIV, XXXV, L comperimus. Atque e Callimacho Fannia concepisse aperte quidem non dicitur, attamen ex elegiæ L vv. 15 sqq conicere licet rem illam ita se habuisse. Iuveni cuidam rustico Fanniam nubere induxisse in elegia XXXII legimus. Quod simul atque ad Callimachi aures pervenit, magna eum tristitia affecit et id quidem non ideo, quia Fannia alteri viro nubere instituit, sed quia rusticum ignobili loco natum sibi elegit. Nihilominus tamen, cum iam Fannia rustico illi iuveni nupta esset, Callimachus et epithalamium composuit, quo Fanniæ nuptias celebraret, et altero etiam carmine nuptæ novæ felicitatem vividis coloribus depinxit non sine disertis rusticæ vitæ laudibus.

Hæc fere sunt, quæ de Fannia in Callimacheo *Fanniæto* leguntur. E quibus si quis Callimachææ amasiæ indolem eruere propiusque definire conatus erit, primo statim obtutu deprehendet esse quædam, quæ parum concinna, immo vero acriter secum repugnantia hic illic evaserint. In quibus considerandis initium ab eis rebus capere placet, quæ ipsa elegiarum scribendarum arte parum inter se concinnæ effici videantur.

Laudatur enim Fanniæ probitas et fides et rustica quædam animi sinceri simplicitas – simulque tamen perfidia et levitas et sordida etiam avaritia hic illic reprehenditur. Hæc omnia etsi in speciem parum concinna videntur esse, facile tolerari, immo laudi poetæ nostro tribui poterunt, si modo, unde eius generis inconcinnitates et repugnantia provenire potuerint, diligenter con-



sideraveris. Si enim affectus suos eosque vehementes poeta elegiacus exprimit et ita exprimit, ut affectibus illis victus domitusque esse videatur, valde consentaneum est, si affectibus ductus quasi contra sanam rationem et absque ulla consideratione amasiæ suæ indolem ac mores, vitia ac virtutes æstimat iudicatque. Quotiescumque ergo fidam sese amatori et facilem et morigeram præbuisse amasiam legimus, nimirum amasiæ virtutes tum præcipue laudibus efferrī videmus; sicubi vero elegiacus poeta se ab amasia sua spretum elusumque inducit, consentaneum est amasiæ mores et ingenium ita potissimum depingi, ut cum vitiis potius reprehendendis quam cum virtutibus laude dignis res nobis sit. Neque protinus existimandum est eiusmodi discrepantiis et inconcinnitatibus ineptum quid effici. Neque enim amasiæ suæ vitam ac mores poeta elegiacus scribere sibi proponit, sed amorem suum exprimere et amatoriam illam animi inter spem metumque, inter amorem et odium fluctuationem, qua quidem fit, ut ipsa quoque amasia modo fida ac proba, modo tamen dura ac difficilis et perfida etiam ipsi videatur. Quæ omnia si carminibus suis depingere ipsi contigerit ita, ut inconstans sibi fuisse et in amasiæ suæ imagine adumbranda repugnantias quasdam insignes admisisse videatur, tum poetam acu, ut aiunt, rem tetigisse et optimas sibi laudes meruisse equidem putaverim. Fecerunt hoc feliciter elegiaci Romani poetæ et ipse quoque Callimachus noster hac in re probum sese elegicorum Romanorum imitatore, puto, ostendit.

Sunt tamen aliæ etiam æque multo gravioris momenti in Callimachea Fanniæ imagine inconcinnitates atque repugnantia; quæ quin e sola illa affectuum fluctuatione artificiose exprimenda originem suam ducant, merito dubitari potest. Si enim Fannia rustica puella fuit et ignobili loco nata, quidnam causæ fuisse putares, cur elegia XXXII tam graviter ferret Callimachus tamque vehementer indignaretur, quod illa „rusticitate pleno viro” nubere in animum induxit? Equidem non infitior vix ac ne vix quidem in XXXII *Fannieti* elegia quicquam reperiri posse, e quo appareat ab eo viro elegiam hanc scriptam esse, qui etiam tum Fanniæ amantissimus esset et propter invidiam atque solitam amantis sollicitudinem rivalem æque ferre non posset. Si enim ita res se habuissent, nihil certe sua interfuisset, utrum rustico an nobili Fannia nubere animum induxisset. Sin autem nil nisi illa futuri Fanniæ mariti rusticitas in Callimachi animo tantam indignationem atque tristitiam movit, si ceteroquin, donec nobili iuveni Fanniam sese in matrimonium dedituram esse credebat, lætitia magna Callimachus afficiebatur, id solummodo restat, ut fateamur parum quidem nobis causam perspectam esse, cur Callimachus tam indigne futuri amasiæ suæ mariti rus-

ticitatem tulerit, nisi quod accipiamus hanc quoque rem ita ab eo institutam esse, ut repugnantibus atque inconcinnitatibus admissis, quænam reapse Fannia esset et utrum nobili an ignobili loco nata, carmina sua legentibus consulto diligenterque occuleret.

Quod quidem si recte statuimus, addamus necesse est hanc quoque rem Callimacheo elegicos Romanos imitandi studio deberi. Satis enim constat in eis, quæ de amasiis suis tradiderunt antiqui elegiaci poetæ, cum insignibus quibusdam inconcinnitatibus, immo vero cum meris contradictionibus rem nobis haud tam raro esse; quæ quidem res parum concinnæ atque secum fortiter pugnantes non elegicorum incuriæ aut protervitati, sed artificio, quod illi consulto adhibuerint, debentur. Quid enim, quæso, de Tibulli Delia ex elegiis Tibullianis vel diligentissime perspectis atque inter se comparatis comperire poteris, quod, quænam Tibulli amasia fuerit, diserte te edoceat? Ne illud quidem (ut alia omittamus) diiudicari aliquando posse videtur, utrum Delia innupta puella etiam tum fuerit, cum Tibulli amore frui cœperat, an alteri viro nuptam initio poeta amaverit. Ovidii Corinna quisnam esset, iam poetæ contemporanei frustra quærebant, nostra vero ætate vulgo putatur fictam omnino personam Ovidii elegis cantatam esse. Plura de amasia sua tradidit Propertius eaque non solum ad puellæ pulchritudinem, verum etiam ad animi ingeniique dotes spectantia. Quorum quædam haud spernendi momenti sunt ad Cynthiæ indolem cognoscendam. Etsi enim id parvi pendamus, quod liberioris vitæ vagorumque amorum appetens et superba nimio plus et iracunda et acris vehemensque, inconstantior etiam et levis et perfida, immo avara nimis nimisque lucri cupida hic illic Cynthia depingitur – omnia enim hæc tum ab elegorum scribendorum arte tum ab ipsorum affectuum, qui elegis exprimuntur, varietate pendere videntur – attamen innuptam puellam Cynthiam fuisse e locis quibusdam plane apparet et nobili genere natam esse ex elegiis 2, 13, 10 et 3, 20, 8 sq merito conicere licet. Quod vero vel disertissimas Propertii laudes meruit, Cynthiæ doctrina erat et artes multæ atque generosæ, ut canendi et saltandi ars, texendi, loquendi, carmina etiam pangendi, quibus Cynthia adeo pollebat, ut iure suo cum Sapphone et Corinna comparari posset. Satis ergo multa sunt, quæ de Propertii amasiæ ingenio ac moribus tradantur, et licet fieri possit, ut nonnulla artificio potius quam vero ac genuino rerum statui debeantur, reliqua certe sunt aliquid præ parcis illis parumque claris ad Deliam spectantibus Tibulli verbis et præsertim præ multo quidem uberioribus, meris tamen figmentis Ovidianis.

Quæcumque tamen et quantacumque de amasiis suis tradiderunt singuli elegiaci poetæ – sive mera artis figmenta ea sunt sive veri speciem præ se

ferunt – in eo certe omnes secum conspirant, quod verum amasiæ suæ nomen miranda sane cum industria unusquisque occuluit atque dissimulavit, id quod ceteroquin Catullus etiam fecit, cum ficticium Lesbiæ nomen Clodiæ amasiæ indidit. Sed quisnam Catulli Lesbia fuerit, id quidem doctis iam dudum statuere contigit, cum haberent, quo innixi ad quæstionem solvendam aggredierentur; neque Catulli æquales, puto, quisnam Lesbia esset, latuit. Quod idem an de Tibulli et Propertii puellis dici posit, id quidem ignoramus: sola certe earum nomina ad nos pervenerunt, quæ id tantummodo nos edoceant, quomodo ficticia illa nomina sese ad vera habeant. Nimirum falsum puellæ nomen a poeta elegiaco ita effictum est, ut totidem syllabis atque verum nomen constaret et syllabarum singularum quantitas eadem utrobique esset. Itaque Cynthia et Hostia, Delia et Plania pari modo dactylum efficiunt. Neque sine quodam verborum lusu ficticia illa nomina puellis imposita sunt: alludebat enim ad amasiæ suæ ingenium Propertius, cum ficticium Cynthiae nomen, quod ab Apollinis cognomine videtur esse ductum, ei tribueret, quæ docta puella esset et carminum componendorum arte excelleret, et Tibullus quoque verbis lusit, Planiam suam Deliam appellando, siquidem Deliae nomen a Græca voce δῆλος deduci potest idem fere significante, quod Latine planus significat, a quo Planiae nomen derivatum videtur esse. Quæ omnia quidem etsi nemini sane ignota sunt, digna tamen memoratu videbantur, propterea quod ad Callimacheam Fanniæ imaginem propius definiendam nonnihil lucis ex eis nobis redundaturum esse sperabamus.

Est enim Callimacheæ quoque amasiæ nomen procul dubio falsum atque ficticium. Neque tamen ab ipso Callimacho effictum est, sed Pontano, clarissimo sæculi XV Italo poetæ originem suam, ut equidem suspicor, debet<sup>2</sup>. Necesse tamen est addamus cum in carminum Callimacheorum præscriptionibus multoties, tum interdum in ipso quoque contextu ficticio illi Fanniæ nomini aliud etiam nomen appositum occurrere, nempe *Suentocha* (*Swentocha*, *Suenthoca*). Plures itaque elegias in *Fanniето* Callimacheo habemus ad *Fanniam Suentocham* inscriptas, quæ duo nomina eodem semper ordine ponuntur; in textu vero bis tantummodo legimus solum Suentochæ nomen: LVIII, 32 *Ille Suentocham scribere debuerat* et LXI, 85 sq *sic et Suentochæ, meditor, maritus vivit*, metri, ut videtur, causa pro solito Fanniæ nomine inductum. Quæ cum ita sint, operæ pretium est considerare, quidnam additiciam illud amasiæ Callimacheæ nomen, *Suentocha* scilicet, sibi velit.

<sup>2</sup> Cf. Ioannis Ioviani Pontani *Carmina: ecloghe – elegie – liriche*, a cura di Johannes Oescher, Bari 1948; Fanniæ amasiæ nomen legitur ibi in *Parthenopei sive amorum* libri primi carminibus 2, 3, 4, 6, 9, 11, 12, 15, 16, 25.

Atque primum omnium caveas, lector candide, velim, ne forte temere credas in eo quod est *Fannia* amasiæ Calimacheæ prænomen, in eo autem quod est *Suentocha* quasi nomen gentile occurrere. Multo enim verisimilius illud mihi quidem videtur: altera voce fictum, altera verum puellæ nomen exhiberi. Nimirum valde consentaneum est in eo quod est *Suentocha* vulgare temporibus illis nomen muliebri latere, quod Polonice *Świętochna* auditur<sup>3</sup>. Quod quidem si recte statuimus, restat adhuc, ut quæramus, quidnam duo hæc nomina, alterum nempe falsum ac ficticium, alterum genuinum et verum, inter se commune habeant nec non quatenus consuetudinem illam elegiacorum Romanorum propriam Callimachus, falsum fictumque nomen amasiæ suæ imponendo, imitatus sit.

Neminem, puto, latuit totidem syllabis illud *Suentocha* atque illud *Fannia* constare. Si igitur reapse verum amasiæ suæ nomen ita Callimachus oculere instituit, ut pro eo quod est *Suentocha* illud *Fannia* constanter pæne scriberet, solitam elegiacorum Romanorum regulam certe observavit. Neque in eo ab elegiacorum consuetudine recessit, quod eiusdem quantitatis fictum illud nomen posuit, cuius et verum fuit, id videlicet hac in re spectans, ut elegis scribendis commodissimum inveniret fingeretque nomen, quod una longa atque duabus brevibus syllabis constaret, similiter atque Deliæ nec non Cynthiæ nomina. Illud enim *Suentocha* aliter mensus est: duabus enim longis et una brevi syllaba verum amasiæ suæ nomen constare putavit, id quod satis manifesto ex exemplis supra prolatis apparet. Quod nomen ut ita metiretur, ea re, ut mihi quidem videtur, adductus est, quod illud *Świętochna* in secunda syllaba accentum accipit; quæ res ceteroquin opinionem nostram quodammodo corroborare videtur, quam nuperrime protulimus in voce *Suentocha* Polonicum nomen *Świętochna* latere asseverantes. Elegiacorum igitur poetarum Romanorum more servato eundem syllabarum in ficticio amasiæ suæ Polonæ assecutus est numerum, quem verum nomen habebat, at metricam syllabarum singularum quantitatem non item.

His vero de ratione mutua, quæ inter illud *Suentocha* et illud *Fannia* intercedit, si non pro certo asseverantis, at non sine prudenti quadam ratione coniectantis et opinantis more dictis iam ad propositum redire licet. Propositum autem nobis erat, ut Callimachum, quænam puella carminibus suis cantaretur, diligenter oculuisse ostenderemus. Quid? Anne eo, quod ficto sæpissime, vero autem amasiæ suæ nomine raro et parce quidem utebatur Callimachus, utebatur tamen, illud ipsum, quænam reapse Callimachi amasia

<sup>3</sup> Cf. A. Brückner, *Dzieje kultury polskiej*, I, Warszawa 1957 (quæ tertia est operis illius editio), p. 69 et 573.

esset, iis, qui Callimachi temporibus *Fannietum* legebant, apparere potuisse putemus? Equidem non putaverim. Etenim præter paucos quosdam, qui – sive ficto tantum amasiæ suæ nomine Callimachus usus esset sive ficto nomini etiam verum (id quod reapse fecit) apposuisset – certe non ignorabant, quænam puella Callimachi carminibus cantaretur, quidnam ceteri qui, quis Callimachus ipse esset, fortasse ignorarent, ex eo, quod amasiæ eius Suentochæ nomen esset, de ipsa illa amasia comperire potuerint, plane non video. Non plus utique lucis e communi hoc atque mirum quantum vulgari puellæ nomine illis redundavisse puto, quæ nobis nostra ætate Callimachi carmina amatoria legentibus redundat. Quamquam igitur Callimachus genuinum ac verum amasiæ suæ nomen fictio illi falsoque nomini hic illic apponens ab elegicorum Romanorum consuetudine, similiter atque in aliis permultis, recessit, nihil tamen vero puellæ nomine in publicum carminibus suis prodito nos, quænam et qualis Fannia illa sive Suentochoa fuerit scire cupientes, adiuvit.

Sed antequam ingenue fateamur nihil certi nos de Callimachi amasia e *Fannieto* Callimacheo comperire posse, quod quidem non ex elegorum scribendorum ratione et arte illa ab elegicis Romanis exulta pendere videatur, necesse est præter ipsum Fanniæ Callimacheæ nomen alias etiam res consideremus, quæ tum ad Fanniæ indolem, tum ad Callimachi et Fanniæ amoris historiam veram ac genuinam cognoscendam haud spernendi videntur esse momenti. Etenim eorum omnium, quæ apud Propertium et Tibullum et Ovidium de eorum amasiis leguntur, quædam in Callimachi quoque carminibus eadem fere vel simillima inveniuntur, sunt tamen, quæ in Callimachi *Fannieto* exstant, cum in elegicorum libris omnino desiderentur. Parum tamen, ne dicam nihil, in genuina Callimacheæ amasiæ indole cognoscenda proficeremus, si ex omnibus hisce locis, quorum quidam itidem utrobique comparati sunt, quidam vero aut longe aliter utrobique sese habent aut in elegicorum Romanorum carminibus omnino desiderantur, inter se comparatis concludere auderemus ea, quæ eadem in Callimachi *Fannieto* et apud elegicos Romanos leguntur, soli Callimacheo elegicos imitandi studio deberi, ea autem, quæ in elegicorum carminibus non exstant, non imitationi aut fictioni Callimacheæ deberi, sed vitæ veritatem sapere. Potuerunt enim et illa vitæ veritati respondere et hæc vicissim ex eodem poetarum antiquorum inventa commutandi, adornandi locupletandique studio, quod quidem in multis Callimachei *Fannieti* locis iampridem ostendimus, originem suam ducere. Ut exemplis allatis rem illustremus, quisnam, quæso, pro certo affirmare audebit, propterea quod Ovidius duabus *Amorum* suorum elegiis Corin-

nam gravidam factam induxit, Callimachi amasiam reapse gravidam factam non esse, sed rem totam Callimachum solo Ovidium imitandi studio ductum finxisse atque commentum esse? Quis deinde pro certo affirmare audebit reapse Callimachi amasiam alteri viro et quidem ipso Callimacho minime invito nupsisse, cum fieri etiam potuerit, ut eo, quod apud Tibullum et Ovidium cum nuptarum puellarum amore rem sibi esse videbat, adductus omnia, quæ de Fanniæ nuptiis narrantur, finxerit atque commentus sit solito more elegicorum locis quodammodo dilatatis adornatisque atque in alium sensum imitando detortis non sine audaci quadam novandi cupidine? Quamquam equidem non infitior multo verisimilius esse ea, quæ de Fanniæ nuptiis in *Fanniæto* Callimacheo leguntur, non ex antiquos elegicos imitandi studio, sed e vero rerum statu originem suam duxisse. Id tantummodo cavendum esse puto, ne quis Callimachei amoris historiam in *Fanniæto* narratam considerans temerario existimet ea, quæ Callimachus communia cum elegicis Romanis habet, ficta esse et mero elegicos imitandi studio deberi, quæ vero vel aliter sese utrobique habent vel in elegicorum carminibus omnino desiderantur, ea potius e vitæ veritate quam e Callimacheo antiquos poetas imitandi studio originem suam duxisse. Res enim difficilis est diiudicatu neque umquam hac ratione adhibita vera a fictis discernere nobis continget ita, ut firmis certisque argumentis eiusmodi distinctio munita esse videatur.

Quod quamquam ita esse mihi quidem persuasum est, cohibere me nequeo, quin in una saltem re accuratius perspicienda atque consideranda insistam et quidem in ea re, quæ ad Fanniæ Callimacheæ indolem propius definiendam vel maximi videatur esse momenti. Illud considerandum nunc mihi propono, utrum ex eis, quæ in Callimachi carminibus de Fannia leguntur, cum elegicorum Romanorum locis similibus comparatis statui possit Fanniam doctam puellam fuisse eamque, quæ Latino sermone conscripta carmina ipsius laudibus prædicandis destinata legere et intellegere posset, necne.

Quod igitur ad locos attinet, e quibus manifesto apparere videtur Fanniam eam puellam fuisse, quæ Callimachi carmina legere, immo etiam æstimare posset, pauci quidem illi sunt neque ita comparati, ut sine ulla dubitatione tuto credere possis rem ita se habuisse. Leguntur quidem in prima statim *Fanniæti* Callimachei elegia hæc verba (v. 53 sq):

Et lege non duris, quidquid meditetur, ocellis,  
Pervigil in titulos iam mea Musa tuos,

quibus scilicet Fanniam ipsam Callimachus alloquitur. Neque quicquam prohibet, quominus solis hisce verbis innixi accipiamus eam fuisse Fanniam, quæ Callimachi carmina et legere et æstimare etiam posset. Attamen si meminimus, hæc tam clara nullique in speciem dubitationi obnoxia verba in ea elegia occurrere, qua Callimachus non amatoris more Fanniam alloquatur, sed multo potius præconis cuiusdam partes agat nil nisi puellæ suæ laudes cantaturi et quidem adhuc incerti, utrum ipse par sit tam pulchræ puellæ laudibus rite prædicandis, si deinde in memoriam revocaverimus præfationis vicem, qua totum *Fannietum* amasiæ dedicetur, elegiam hanc agere, si postremo verba nuper allata cum aliis *Fannieti* contulerimus locis, quibus quidem illud „lege” in prima elegia obvium quoquo modo corroborari ac muniri possit, certe iam in dubitationem adducemur et ambigere incipiemus, utrum iure nostro tantum doctrinæ tribuere Fanniæ liceat nobis solo illo primæ elegiæ disticho innixis. Etenim præter dedicatorem illam elegiam nihil usquam in toto *Fannieto* inveniri potest, unde manifesto appareat Fanniam reapse Callimachi carmina legisse et intellexisse. Ubi cumque enim de carminibus suis Callimachus loquitur, nihil aliud dicit nisi perenne apud posteros nomen carminibus illis Fanniæ partum iri; utrum autem et delectatio aliqua atque voluptas iam tum Fanniæ parta sit necne, id ne verbo quidem commemoratur. Haud equidem infitior casu fieri potuisse, ut eiusmodi res in *Fannieto* Callimacheo desideretur, neque ignarus sum argumenta ex silentio petita parum, ut ne dicam nihil, ponderis ipsa per se habere. Si tamen in memoriam revocaveris, quantum in Callimachea Fanniæ imagine depingenda quantumque in amoris Callimachei historia enarranda Propertii elegiæ valerint, illius videlicet poetæ elegiæ, qui amasiæ suæ doctrinæ, immo etiam carmina pangendi facultati præcipuas attribuisset laudes, nescio an non mecum mirari incipias eos locos Propertianos, qui ad Cynthiæ doctrinam spectabant, Callimachum lucri non fecisse. Atqui ut eos potissimum lucri faceret, si modo rem ipsam sive memoratu dignam sive carminibus suis aptam et commodam existimavisset, cum ipsa illa imitandi ratio tum id præcipue suadebat, quod Callimachus, doctus quidem poeta et orator, in ea terrarum regione commorabatur, cuius incolæ et ignoto ipsi idiomate uterentur et barbaria quadam præ Italis Callimachi concivibus insignes fortasse viderentur. Qua in regione si poeta noster puellam nactus esset non solum pulchram et amabilem, sed eam etiam, quæ et sermonis commercium cum ipso habere et carminibus ab ipso conscriptis delectari posset, mirandam sane rem fecisset hisce puellæ suæ ingenii dotibus silentio prætermisissis. Aut ergo Fannia reapse docta non fuit, aut consulto Callimachus, sicut et alias res

permultas, puellæ suæ doctrinam dissimulare et occulere voluit, ne forte præclaris illis et minime vulgaribus Fanniæ ingenii dotibus proditis, quænam puella ipsius carminibus cantaretur, legentibus pateret.

Iam vides, lector benevole, quantis in tenebris versemur certi quidquam ex eis, quæ in *Fanniæto* leguntur, cum elegiacorum Romanorum topica amatoria comparatis de Fannia comperire nequiquam cupientes. Ne igitur nihil nos certo scire iam nunc fateamur, si quid aliunde de Callimachi amasia comperire possimus, tandem videamus.

Quæcumque enim et quantacumque de amasiis suis tradiderunt singuli elegiaci poetæ Romani, nihil certe præter carmina sua nobis reliquerunt, unde de eorum amasiis quicquam discere possimus. Aliter res se habet cum Callimachi nostri puella. Leguntur enim quædam ad Fanniam spectantia cum in præfatione ipsis carminibus præfixa, tum in posterioribus etiam Callimachi scriptis, pauca illa quidem, minime tamen indigna, quæ diligenter perspiciantur atque considerentur.

Atque primum quidem in epistula ad Ainolphum Thedaldium a Callimacho scripta et *Fanniæto* præfixa hæc sunt, quæ ad Fanniam attinent:

„... converti oculos ad particulares exercitatiunculas meas et inter alia vidi nonnullas elegias, quas ad Fanniam Suentocham hoc anno perscripsi, easque in unum collegi et ad te mitto. Fuit enim ipsa mihi solatium ac relaxatio quædam animi, quotiens vel gravitas vel difficultas rerum, quas a sapientia huius viri [id est Gregorii Sanocei] in dies audio, me oppressisset. Et proinde, utpote de me benemeritam, non vulgariter dilexi dignamque putavi, cui eorum studiorum, quorum adiutrix foret, aliqua pars dedicaretur. Scriberem tibi multa de forma et moribus ipsius, sed nisi molesta fuerit tibi nostrarum ineptiarum lectio, invenies sparsim in libello, quidquid de ea cognoscere cupies. Tu velim tam grato animo fratris munusculum, quodcumque est, accipias, quam meretur caritas illa, quæ ad id mittendum me compulit. Vale et Fanniolam nostram dilige mihi que, quid de ea sentias, rescribe, ubi nugas istas perlegeris.”<sup>4</sup>

Nihil sane e verbis his comperimus, quod quidem ex ipsis carminibus nobis non innotuerit. Quod enim Fannia Callimacheorum studiorum adiutrix nominatur, id certe eo sensu nullo modo accipi potest, ac si illa pro Callimacheorum carminum iudice aut censore quodam haberi possit. Eo enim Fannia Callimachum in carminibus scribendis adiuvit, quod sese illi „solatium ac

<sup>4</sup> Cf. Philippi Callimachi *Epistulæ selectæ*, edidit et in linguam Polonam vertit Latinas I. Lichońska, Italicas G. Pianko, commentariis historicis illustravit Th. Kowalewski, Vratislaviæ 1967, p. 48, 30 – 50, 12.



relaxationem quondam animi” præbuit, cum ille Gregorii Sanocei gravitatem ac doctrinam, qua obrueretur et opprimeretur, diutius ferre non posset. At verbis his Callimachum fidem quodammodo facere eorum, quæ in carminibus ipsis de Fannia dicuntur, quis non videt? Dicit enim Ainolphum, si quid de Fanniæ pulchritudine ac moribus cognoscere cupiverit, facile ex ipsis carminibus cogniturum. Atque quod ad pulchritudinem quidem attinet, sane multa in *Fannieto* Callimacheo hac de re dicuntur. Sed de moribus Fanniæ quæ narrantur, adeo secum pugnare vidimus, ut vix ac ne vix quidem, qualis Callimachi amasia fuerit, diiudicari possit. Iam vides, lector optime, fidem eorum, quæ carminibus de Fannia narrantur, in epistula dedicatoria a Callimacho factam non ita magni pensitandam esse<sup>5</sup>.

Sed cum epistula illa præfationis in *Fannietum* vicem gereret, qui fieri potuit, ut ea, quæ carminibus consulto Callimachus occuluit atque dissimulavit, præfatione prodiderit aut saltem inconcinnitatibus atque repugnantibus e consilio inductis ea laborare aperte professus sit? Itaque ad ea iam veniamus necesse est, quæ alibi de Fannia in Callimachi scriptis leguntur.

Tribus in locis Callimachæ *Vitæ Gregorii Sanocei*, anno 1476 conscriptæ, Fanniæ amasiæ incidit mentio. Et primum quidem in epistula dedicatoria ad Sbigneum de Oleśnica iuniorem, episcopum Vladislaviensem, a Callimacho scripta et *Vitæ Gregorii Sanocei* præfixa, qua Callimachus Sbigneum ad Gregorii Sanocei exemplum imitandum adhortatur, hæc leguntur:

„Reliquum est, ut quem præter omnes sapientissime de me sensisse hoc facto tuo [ea re videlicet, quod Sbigneus patrocinium suum Callimacho non negavit] confessus es, in ceteris quoque cum commendatione imitari posse intellegas, præsertim in servitutis meæ solatiolo tuendo ac benignissime tractando. Id enim, quod Fanniella fuit in exilio meo, id nunc est Drusilla in servitute.”<sup>6</sup>

Haud multum quidem ex hisce verbis de Fannia comperimus, sunt tamen ea diserto nobis testimonio reapse puellam, cui Fanniæ nomen indidit, Callimachi apud Gregorium Sanoceum commorantis amasiam fuisse. Multo

<sup>5</sup> Quod quidem ex ipso dicendi genere quodammodo apparet. Quid enim? Nonne verbis ludebat Callimachus, cum illud scriberet: *Fanniolam nostram dilige mihiq̄ue, quid de ea sentias, rescribe, ubi nugas istas perlegeris*, elegiarum libellum potius quam amasiam ipsam in mente habens? Neque enim Fanniam Ainolpho misit, sed elegias, quæ *Fannia* merito inscribi possent, *Fannietum* inscriptæ sunt.

<sup>6</sup> Philippi Callimachi *Vita et mores Gregorii Sanocei*, edidit, commentariis illustravit, in linguam Polonam vertit I. Lichońska, Varsoviæ 1963, p. 14, 23-16, 3.

gravioris momenti sunt, quæ in eiusdem *Vitæ* cap. XXXIV ita scripta leguntur:

„Præveniebat [Gregorius scilicet] in plerisque cogitationes meas allevando calamitatem, qua urgebar, nec, quantum in se erat, ut illam sentirem patiebatur, in multis infra ætatis dignitatisque suæ gravitatem mecum comiter agebat deambulando, vigilando, ac ne quid deesset ad supremæ humanitatis in me studium, plerumque Fanniolum convivio adhibebat, quam præcipuum infortunii mei solatiolum esse non ignorabat. Adeo plus semper apud eum omnibus in rebus potuit calamitatis meæ miseratio quam suæ dignitatis observantia.”<sup>7</sup>

Quæ quidem verba, Gregorium potius quam Fanniam laudantia, propter illam dignitatis a humanitate et miseratione victæ mentionem diligenter nobis consideranda erunt. Antequam tamen, quid e verbis his ad veram Fanniæ Callimacheæ imaginem adumbrandam erui possit, indicemus, audiamus cetera, quæ cum in *Vita Gregorii Sanocei*, tum alibi etiam de Fannia dicuntur.

Atque *Vitæ* cap. LIII inter ea, quæ Gregorius scripsit, „epigrammata nonnulla” memorantur, „quæ contra Fanniam nostram per lusum iocumque scripsit, cum alias decus atque ornamentum civitatis suæ ipsam profiteretur”<sup>8</sup>. Quorum epigrammatum ne unum quidem ad nos pervenit, quamquam habemus unum Gregorii carmen puellarum avaritiam in universum taxans<sup>9</sup>. Quod tamen notatu dignum mihi quidem videtur, illud est, quod Fannia „decus atque ornamentum civitatis suæ”, id est eiusdem civitatis, ubi et Gregorius et Fannia domicilium habuit, a Gregorio appellabatur. Quam quidem civitatem oppidum fuisse a Gregorio Sanoceo conditum et Dunaiovia appellatum ex eiusdem *Vitæ Gregorii* cap. XXVI manifesto apparet<sup>10</sup>.

Hactenus ea, quæ de Fannia in Callimachea *Vita Gregorii Sanocei* leguntur. Eodem anno, quo *Vita Gregorii*, conscripta esse videtur Callimachi *Rhetorica*, ante paucos hos annos a Casimiro Kumaniecki primum edita<sup>11</sup>, quo in opusculo duæ Fanniæ mentiones occurrunt, altera quidem (p. 131, 13), quæ nullius ad Fanniam cognoscendam est momenti, altera tamen (p. 29, 1 sqq) minime indigna, quæ legentium oculis repræsentetur. Etenim dum inter

<sup>7</sup> Ibidem, p. 54, 7-13.

<sup>8</sup> Ibidem, p. 72, 30-32.

<sup>9</sup> Ibidem et A. Miodoński, *Philippi Callimachi et Gregorii Sanocei carminum ineditorum corollarium*, Cracoviæ, sumptibus Academiæ Litterarum, 1904, p. 13-14, ubi Gregorii carmen illud legitur.

<sup>10</sup> Philippi Callimachi *Vita et mores Gregorii Sanocei*, ut supra, p. 46, 7-13.

<sup>11</sup> Philippi Callimachi *Rhetorica*, edidit C. F. Kumaniecki, Varsaviæ 1950 (Auctarium Mæandream, vol. I).

narrationis exempla „explicationem negotii” Callimachus considerat, hoc explicationis illius exemplum affert:

„Fannia nobili Scytharum familia orta et oriunda, dignitate formæ ac morum venustate ornatissima”.

Parum quidem verba hæc, quibus Fannia de nobili genere nata esse aperte dicitur, ipsa per se valere non infitior: exempli enim illa vicem gerunt rem a Fannia remotissimam illustrantis. Quid tamen quod alio etiam Callimachi opusculo eadem de nobili Fanniæ genere et multo quidem uberius traduntur? Opusculum dico, quod *Historia de rege Vladislao* sive *De clade Varnensi* inscribitur. Ubi Lesconis Bobritii, clarissimi atque nobilissimi equitis Poloni, virtute commemorata hæc Callimachus adicit:

„Fuit autem Lesco avus divæ Fanniæ carminibus nostris celebris, si qua tamen ex illis gloria esse potest.”<sup>12</sup>

Si enim Lesco ille Vladislavi regis exercitibus imperitabat, si eisdem, quibus Andreas Tancinius (Tęczyński), inter nobilissimos regni Poloni procul dubio numerandus, muneribus fungebatur<sup>13</sup>, fieri non potuit, ut plebeius homo esset et ignobilis, quamquam parum quidem aliunde de eo comperire possumus<sup>14</sup>. Quæ cum ita sint, operæ pretium est in *Historiæ* Callimacheæ loco considerando paululum consistere.

Scripsit enim verba nuperrime a me laudata homo iam prope quinquagenarius, cui publicis tunc negotiis occupato non idem certe animus fuit atque decem et aliquot annis ante, cum apud Gregorium Sanoceum exul timidus suæque fortunæ incertus commoraretur exiliique miserias Fanniæ amore sublevaret. Ipsa quoque Fannia, quæcumque illa fuit, si modo inter viventes etiam tum erat, iam dudum e tenera puella gravis matrona facta est, cui certe minus iam obesse possent ea, quæ Callimachi carminibus de ipsa narrabantur, etiamsi verum eius nomen et genus in publicum tandem proderetur. Consentaneum ergo est Callimachum eadem, quæ, ne forte puellam male diffamarent neve ipsi quoque nocerent (potuerunt enim nobilis familiæ

<sup>12</sup> Philippi Callimachi, *Historia de rege Vladislao*, edidit I. Lichońska, commentariis historicis illustravit Th. Kowalewski, in linguam Polonam traduxit A. Komornicka, Varsaviæ 1951, p. 42, 9-10.

<sup>13</sup> Ibidem, p. 44, v. 29 sqq.

<sup>14</sup> Ibidem, ann. ad p. 42 v. 7.

iram contra Callimachum emovere), diligenter dissimulaverat, decem et aliquot annis præterlapsis oportunitatem nactus tandem in publicum prodere instituisse. Rem totam paucis quidem verbis enucleavit, eiusmodi tamen, in quibus ad plenitudinem nihil desiderari posse videatur. Quid enim? Illud „si qua tamen ex illis gloria esse potest” de *Fannieti* carminibus dictum quidnam sibi velle putemus? Suntne verba hæc solitum tantummodo tritumque modestiæ indicium? Nihil certe ineptum dices, si ita rem se habere asseverabis. Quid tamen, si prægnantiozem ea sensum præ se ferre ostendere temptabor? Si aperte dicam non carminum suorum qualitatem, sed res ipsas, quæ carminibus illis de Fannia narrantur, Callimachum in mente habuisse, cum verba hæc scriberet? Sunt enim Callimachi carmina ita comparata, ut perenne puellæ nomen apud posteros partum quidem eis sit, neque tamen desint in eis res quædam, quæ Fanniæ multo potius infamiæ quam laudi, præsertim apud contemporaneos nescio quos severos ac tetricos homines, esse potuerint. Quæ quidem res eo magis Fanniæ detrudere, immo etiam pudori esse poterant, quo magis claro ac nobili genere illa nata erat. At tali genere Fanniam natam esse cum e Callimacheæ *Historiæ* loco laudato, tum etiam e *Rhetoricæ* verbis supra citatis manifesto apparet. Nihil ergo mirandum est, quod Callimachus amasiæ suæ nobilitatem in carminibus amatoriiis occuluit et non nisi uno loco quicquam dixit, quo innixi suspicari tantummodo possimus Fanniam reapse neque rusticam nec pauperem puellam fuisse.

Sed si Fannia Bobritiæ familiæ filia fuit, id quod equidem iam pro certo atque explorato habeo, restat adhuc, ut explicemus, quidnam sibi Callimachi verba velint e *Gregorii Sanocei vita* nuperrime a me allata. Quibus verbis Callimachus Gregorium propterea potissimum laudibus effert, quod ille „infra ætatis dignitatisque suæ gravitatem” cum ipso agebat, cum „Fanniolam convivio adhiberet”; qua quidem re eum se virum manifesto ostendisse Gregorium, apud quem semper plus omnibus in rebus alienæ calamitatis posset miseratio quam propriæ dignitatis observantia. Quid? Nonne in eadem contradictiones et inconcinnitates, quibus, cum Callimachi carmina amatoria nuper indagabamus, pæne obruti oppressisque sumus, denuo incidere videmur? Si enim Fannia nobili genere nata fuit puella, quidnam causæ fuisse putemus, cur Callimachus infra Gregorii dignitatem illud duceret, quod Fannia a Gregorio convivii adhibebatur? Anne puellæ rusticitate et infimo, quo nata esset, loco Gregorii dignitas offendebatur? Haud equidem dixerim. Multo enim verisimilius est, si modo Callimachi verba attento perlegeris animo, non eam dignitatem Callimachum in mente habuisse, quæ proceribus quibusvis tum erat quaque illi prohibebantur, quominus cum

infirmis ac pauperibus mensæ commercium haberent, sed multo potius eam dignitatem, quæ Gregorio ut archiepiscopo et ecclesiastico erat et propter quam minime eum decebat hospitis sui amasiam conviviis adhibere, quippe quod lasciviæ et libidinibus occasionem inde dari quilibet existimare posset.

Multo difficiliter explicatu illud est, quod alio *Vitæ Gregorii* loco legitur Fanniam a Gregorio „decus atque ornamentum civitatis suæ” appellatam esse. Illud enim „suæ” non solum ad eam civitatem spectare videtur, in qua Gregorius simulque Fannia domicilium haberent, verum etiam ad eam, cuius Gregorius princeps ac patronus esset. Nescio equidem, utrum fieri potuerit, ut nobilis generis puella et domicilium sedemque in eo oppido haberet, quod archiepiscopi quasi quoddam prædium esset, et simul ne archiepiscopi imperio subiecta atque obnoxia esset, id quod ita certe esse debuit, si modo Fannia reapse nobilis familiæ filia erat. Quod quidem cum e Callimachi verbis manifesto appareat, malo ad præsens „iuridicam” illam quæstionem in dubio relinquere, iis aliquando solvendam, qui antiquitatibus Polonorum me ipso peritiores eam indagatione dignam aliquando existiment. Utcumque tamen *Vitæ Gregorii* locus intellegendus est, parum certe valere videtur e loco hoc nuperrime a nobis elicitam dubitatio præ claris illis nullique dubitationi obnoxia *Historiæ Callimacheæ* verbis, præsertim cum haud spernenda inter ipsa illa verba et *Rhetoricæ Callimacheæ* supra a me citatum locum intercedat concordia.

Restat igitur, ut breviter repetamus atque in unum colligamus, quidnam e diversis Callimachi scriptorum locis indagatis et cum *Fanniæto* comparatis didicisse nobis de Fannia videamur, quod quidem si non pro certo atque explorato, at pro veri simillimo saltem haberi possit. Hæc fere sunt: Fuit Callimachi amasia nobili loco nata puella, cui Suentochæ prænomen et Bobritiæ nomen gentile erat. Puellæ illius amore Callimachus exulans feliciter fruebatur eiusque amorem dignum esse putabat quem carminibus suis narraret depingeretque. In quo amore depingendo cum aut elegicos Romanos imitandi studio aut rebus ipsis, quæ vere ipsi et amasiæ accidissent, ductus admitteret quædam parum honesta et quæ puellam male diffamare possent, illud ipsum, quænam puella carminibus suis cantaretur, diligenter occulit ac dissimulavit contradictionibus quibusdam et inconcinnitatibus in amasiæ suæ imagine carminibus depingenda admissis, qua in re ceteroquin solitum elegicorum Romanorum morem amplexus est. Annis demum prope quindecim, ex quo Gregorii Sanocei hospitio frui desiit et Fanniæ valedixit, præterlapsis, cum de Vladislai regis gestis opus scriberet, oblata occasione in publicum prodidit, quænam puella ipsius carminibus olim cantata esset.

## DE PHILIPPO CALLIMACHO ELEGIACO CAPITULA DUO

## Streszczenie

Są to dwa rozdziały wyłączone z wydanej przed pięćdziesięciu prawie laty mojej rozprawy doktorskiej, traktującej o Filipie Buonaccorsim zwanym Kallimachem (1438–1496), osiadłym w Polsce humaniście włoskim i poecie nowołacińskim, jako o naśladowcy elegików rzymskich. W pierwszym, *O języku miłosnym Kallimacha*, analizuję semantykę wybranych okazów jego wzorowanego na elegikach rzymskich słownictwa erotycznego, w drugim *O nakreślonym przez Kallimacha wizerunku Fannii* zajmuję się osobą jego polskiej kochanki, próbując na podstawie pospołu skąpych o niej danych w utworach Kallimacha i topiki elegii rzymskiej hipotetycznie ustalić m.in., czy i w jakim sensie mogła jako bohaterka jego utworów poetyckich być także ich użytkowniczką.

*Streścił Juliusz Domański*

**Słowa kluczowe:** Filip Kallimach (Filippo Buonaccorsi), łacińska elegia miłosna, osoba kochanki w łacińskiej elegii miłosnej, nowołacińska poezja humanistyczna, renesansowe naśladownictwo starożytnej poezji łacińskiej.

## DE PHILIPPO CALLIMACHO ELEGIACO CAPITULA DUO

## Summary

It is two chapters detached from my doctoral thesis—published nearly fifty years ago—on Philip Buonaccorsi called Callimachus Experiens (1438–1496) as an imitator of Roman elegy writers. Callimachus was an Italian humanist and Neolatin poet who settled in Poland. In the first chapter, *On Callimachus' Love Language*, I analyse the semantics of some selected examples of his erotic vocabulary which was modelled upon ancient Roman elegies. In the second, *On Fannia's Effigy Sketched by Callimachus*, I deal with his Polish mistress' person. Not very much is told about her in Callimachus' works. Nevertheless, I try to find out hypothetically—referring to the topics of the Roman elegy—if and how Fannia, a heroine of Callimachus' poems, could be also a reader of them.

*Summarised by Juliusz Domański*

**Key words:** Philippus Callimachus (Filippo Buonaccorsi), Latin love elegy, mistress' person in Latin love elegy, Neolatin humanist poetry, the Renaissance imitation of ancient Latin poetry.